





494. *Trabe*




*Fe 197. Q*











DUORUM  
Verè  
ANTIQUORUM  
CIMELIORUM  
SUCCINCTA EXPOSITIO,

A D  
ERUDITÆ AC VENERANDÆ ANTI-  
QUITATIS STUDIUM SPECTANS,  
VETERIS REI NUMMARIÆ CURIOSIS  
DICATA.

A B  
AUCTORE ET POSSESSORE

G. à Pfau,

Conf. Stat. Int. Wirtemb.

Edente

BENNONE GASPARO HAURISIO,

Serenissimi Electoris Palatini Judicii Aulici Consiliario, & in Uni-  
versitate Heidelbergensi Professore Historiarum

P. & O.

HEIDELBERGÆ,

Ex Typographejo Academico, per Joannem Jacobum Haer.





DUORUM  
ANTIQUORUM  
CIMELIORUM  
SUCINCTA EXPOSITIO  
A D.  
BRUDLE AC VNERANDA ANTI  
QUITATIS STUDIUM SPECTANS  
VETRES REI NUMMARIE CURIOS

KOEN. BIBL.  
UNIVERS.  
HALLE



BERNARDUS GASPARDUS HARRISIO  
P. O.  
Ex photographo...





VIRO NOBILISSIMO  
D. GASPARO à PFAU  
S. P. D.  
BENNO GASPAR HAURISIUS.




Si succensueris mihi, VIR NOBILISSI-  
ME, tamen, quas ad me paucis abhinc  
diebus scriptas dedisti explicationes duo-  
rum vere Antiquorum Cimeliorum, typis impressas,  
TIBI remitto. Opportunam enim, putavi, nactum me  
esse occasionem, curiosæ Reipublicæ Litterariæ, An-  
tiquitatum studiosæ, Numariæ rei præsertim, ut  
ostenderem, quam pretiosum, ex omni metalli ge-  
nere, apud TE detineas thesaurum. Hunc diutius  
latere si concederem, timui, ne pellerer è Re publica,  
cujus incrementum & vovi & juravi. Idem si TIBI,  
VIR NOBILISSIME, curæ; cur *Commentarium Hi-  
storico-Criticum*, antiqua Numismata, à TE multis ab-  
hinc annis & impensis collecta rarissima, illustrantem,  
publicæ rei dare, tamdiu cunctaris? Vel TIBI soli  
conquisivisti, quæ, tum in originali, quum majori  
ex parte jam sculpta possides? Ecce aliorum tam avi-  
de desideras opera? Nobilius edideris factum, si par  
reddideris. Fateor quidem, doctissimos jam plures,  
huic studiorum generi, ita operas suas impendisse, ut  
exhausta jam crederem, quæ spectant ad Deorum  
Dearumque simulacra, Cognomina & Epitheta; Sa-  
cerdo-



cerdotia, Signa Pontificalia & Vasa Sacra; Tempa,  
alia ædificia & Loca publica; Imperii Romani Fami-  
liarum, Romanorumque Imperatorum Imagines;  
Apotheoses, seu Consecrationes Augustorum Augu-  
starumque; Regionum, Provinciarum, Oppidorum,  
Fluviorumque Symbola; Quæ ad Expeditiones mi-  
litares & Res bellicas; Circos & ludos; Quæ denique  
ad virtutum sociarumque Emblemata pertinent. At  
TUUS, VIR NOBILISSIME, copiosissimus appa-  
ratus, quem propria manu elegantissime à Temetipso  
delineatum conspexi, ærique incisum liberalitati  
TUÆ debeo, de messe plane nova & multifaria me  
persuasit. Ut taceam conspicuam collectionem An-  
tiquæ supellectilis, Urnarum, Signorum, Armorum,  
Annulorum, aliorumque. Ne vero hæc solus scirem,  
duo à nemine umquam publicata Cimelia, divulgan-  
da duxi. Spem habeo, pace TUA id factum futu-  
rum. Quum enim tam prompte & alacriter, ex in-  
genita humanitate, ad illustrandos *Scriptores Historiæ  
Romanæ*, quibus impræsentiarum occupor, succurris,  
& quæ desunt, supple; nullus dubitare potui, quin  
omnia, quæ sparsim à me ex penu TUA abundante,  
ipse sis prompturus. Non deero, VIR NOBILISSI-  
ME, industria mea, si quam inveneris utilem, etiam  
hoc in negotio. Pergas modo, futuro etiam tem-  
pore, mihi esse materia perpetua gratitudinis & dili-  
gentiæ. Vale & fave. Dab. Heidelbergæ, ijsis  
Calendis Augusti, A. O. R. MDCCXLII.





## VOTUM BAPTISMALE.

VIVAS IN DEO. Caput plenum à fronte humeris tenens. Interpretatio Cimelii.

℞. IESU \* ✠. Monogramma Salvatoris : literis majusculis X. & P. expressum, cujus spatii reliquæ IESU intercalatæ visuntur. In area desuper ad dextram cernitur astrum. Ponderis est  $\frac{1}{4}$  Duc. 13. as.

**E**N Lector benevole, verum ac ingenium prisce ævi pietatis documentum, quod alibi frustra forsitan quæres. Duodecim abhinc annis propè Albani Græcam, in Vineâ cujusdam ejus incolæ, fortuito repertum, & à me, à quodam hujus Ducalis Wirtembergicæ Aulæ Musico, (cujus Uxor, Catholicæ Romanæ Religionis addicta, ibidem tunc temporis domicilia ac degens, per totidem annorum spatium, idem collo appensum gestavit,) pretio unius ducati aurei redemptum. Historia quomodo Cimelium fuerit acquisitum.

A 3

Quid



Transitio ad  
fusioem ex-  
plicationem.

Quid de hoc perraro Cimelio, salvo meliori judicio, statuum, indicabo, cum præcisam ejusdem Epigraphen ac typum paulò exactius exposuerim.

Inscriptio quo-  
modo conjun-  
genda.

Inscriptionem bilateralem sic conjungendam censeo, ut integraliter una serie legatur: VIVAS IN DEO IESU Xristo.

Explicatio pri-  
oris lateris.

Typum quod attinet. In primo latere visitur facies plena ac imberbis, serena, Juvenilis, mascula, non vero muliebris. Caput stemmate crucigero vel diademate neque tectum neque cinctum, (ceu in Nummis Imperatoriis bassi vel inferioris ævi plerumque videre est) sed potius nudum hinc apparet; ita ut coma in mediam ferè frontem prodeat, ac ab utroque vultus tempore hinc indè cincinnorum simbria devexa ac pendula spectetur. Collum tegit velum ad pectus complicatum, humeros verò togæ vestimentum consuetum vel pallium; ita ut bustum aream inferiorem expleat, adjectâ in ambitu Epigraphæ ad dextram: VIVAS, ad sinistram verò: IN DEO.

Explicatio po-  
sterioris late-  
ris.

In secundo latere hujus Cimelii sistitur Monogramma XPristi majusculum, oram tam superiorem quam inferiorem circuli, quò area cingitur, ferè tangens; interjectis literis IESU cum astro desuper.

Forma Cime-  
lii.

Forma hujus Cimelii est rotunda, magnitudinem habentis Quinarij, vel libellæ Argenti, (vulgò Kreuzer) seu Saxonico Idiomate ternarij, (Dreyer) auri Obryzi seu optimi, annulòque supernè antiquitùs fabricatò (quod æqualis auri Color ac puritas omninò suadet) est instructum, ita ut à collo pendens, tutè ac commodè gestari poterit.

Caput Cime-  
lii.

Caput seu bustum, huic Cimelio impressum, Christi Salvatoris Protomen & quidem Juvenilem, referre exindè conjicio, quùm nemini Imperatorum, tam propter



propter vultûs , oris ac capitis habitum , quàm vestimenti ornamentum convenit.

Hi enim remotiori ævô semper ferè stemma crucigerum , vel diadema Unionibus & Gemmis contextum, vel Mitram Regiam vel Imperatoriam , lapillis pretiosis inspersam capite gestabant. Nec obstat nimbus , præfenti Cimelio deficiens , qui in plerisque hujus ævi Nummis Imperatoriis , faciem & vultum Salvatoris ( ceu in illis Zemiscis aliorumque ) præferentibus adpictus visitur ; spatium enim Areæ nimis angustum ( & quod Salvator salutiferum & absolutissimum Redemptionis Opus in tenera adhuc ætate , ceu hîc effigiatus cernitur , perfecisse ac consummasse , nondum credi poterat ) hujus adjecctionem vetuisse verosimile est ; minusque consentaneum factum foret , quùm Vultum cujusdam Principis Cimelio imprimere veneranda Antiquitas studuerit , Imperatoris imagini , qui ex appositione nominis omninò cognosci deberet , vorum Pictatis adjecisse , posteaque illum ipsum ignorari voluisse.

Fufius explicatur.

Si usum ac rationem hujus Cimelii investigare velimus ; mihi primùm in mentem venit , signum seu tesseram hospitalitatis olim apud veteres Christianos illud forsitan retulisse ; Quùm planè ferè similem inscriptionem in sigillo quodam æreo antiquo, Clar. CLAUDIUS MOLINETUS, Gazæ quondam antiquæ Regis Galliæ Præpositus , ex Musæo S.<sup>te</sup> Geneviæ pag. 3. profert , ac in tabulâ æri incisâ exhibet figuratam, ita habentem : VIVAS IN DEO. De quo sigillo, ipsius MOLINETI Gallicò idiomate expressa verba hîc latinè translata apponere libet.

Ufus & ratio hujus Cimelii.

„Tessera hospitalitatis Christianæ Ecclesiæ primitivæ fidelibus , prò signo Symbolico Communionis fraternæ quondam inserviebat , mediante



„diante quâ, à se invicem ubique, quorsum venie-  
 „bant, amanter recepti, jure liberi hospitii, a-  
 „liisque illi annexis beneficiis fruebantur. Ter-  
 „tullianus enim hujus facit mentionem in Libro  
 „de Præscriptione adversus Hæreticos Cap. 20.  
 „inquiens: *Communicatio Pacis, & appellatio fra-*  
 „*ternitatis, & Contesseratio hospitalitatis, quæ jura*  
 „*non alia ratio regit, quam ejusdem Sacramenti una*  
 „*traditio.*

Sententia Au-  
 thoris de usu  
 hujus Cimelii.

Sed cùm hoc ipsum exquisitissimum Cimelium, in-  
 tuitu ac ratione formæ & fabricæ, ab illo MOLINETI (quod  
 sigillum æreum oblongum ad signandas olim litteras Ca-  
 nonicas referebat) maximè recedat; satius omnino duxi,  
 Usus fortasse cujusdam VOTI PIETATIS, veteribus præ-  
 buisse; ità ut adultis nempè pro incitamento purioris  
 Christianæ fidei ac Religionis, in varias tunc temporis  
 hæreticorum sententias vel Sectas abeuntis, datum fue-  
 rit atque concessum, ut istud in signum separationis ac  
 distinctionis ab aliis heterodoxis Christianis, collò vel  
 pectore gestarent, statimque reliquis ejusdem fraternæ  
 Communionis magis innotescerent.

Sententia ulte-  
 rior Authoris  
 de usu hujus  
 Cimelii.

Quidni etiam, & quod magis probabile, illud ipsum  
 Infantulis Sacri Baptismatis Sacramento imbuendis, Vo-  
 ti loco, dono datum colloque appensum fuisse credi po-  
 terit? Idem enim adhuc mos & ritus hodiernum in Ec-  
 clesiâ Russorum antiquitùs Græcâ, ex præscripto religio-  
 sè observatur ac imitatur; quùm ipsis baptizandis Infan-  
 tulis, post pronuntiatam Exorcismi formulam, factam-  
 que Unctionem, crucicula quædam (ex qualitate & di-  
 gnitate Parentum, prout honoratoris vel vilioris sunt  
 con-



Conditionis) vel aurea, vel argentea vel etiam plumbea collo appendi solet, in qua literæ X̄C̄ incisæ visuntur. Quam quoque ipsam Cruciculam ad extremum usque vitæ diem, pro signo ac nota Characteristica Christianæ imbutæ atque amplexæ Religionis, collo semper appensam secum gestare tenentur; ita ut etiam adulti, cruciculâ hâc orbatis, quûm forsan casu, in platea vel via publica exanimis reperiuntur, honesta omninò sepultura denegari soleat; teste ADAMO OLEARIO in *Itinerario suo pag. m. 282.*

Hoc quoque præprimis suadet Protome X̄sti imberbis & juvenilis in primo, simul ac Monogramma nominis X̄P̄ in secundo Cimelii latere expressum. Quam quoque sententiã adæquata verè Christiana ac propria bilateralis Epigraphe: VIVAS IN DEO JESU CHRISTO magis firmat atque suffulcit.

Porro adhuc investigandum supererit, quò nempè tempore, locò & Imperatore, Symbolum hoc prisce ac verè Christianæ Religionis ingenuum cufum esse poterit?

Antiquitates qui tractant, prioris ac Inferioris vel remotioris Ævi differentiam, circà rem Nummariam Antiquam, optimè norunt; nec desunt documenta probationis, quibus Nummi Constantinorum ab illis Arcadii, Honorii, iterum Justinii & Justiniani, itidem Mauricii, Phocæ, ac Constantinorum Pogonatorum &c. certò certius inter se dignosci queunt.

Hinc fabricam ac sculpturam busti hujus effigiati, simul ac literarum ductum & formationem planè temporis ac Ævo Imperatoris Theodosii M. respondere & convincere persuasus sum.

Stella verò in latere Cimelii postico, ponè literas X & P̄ desuper posita, Orientem, præprimis Urbem

B

Con-

Quæ probatur

Tempus quo Cimelium hoc cufum.

Refertur ad tempora Theodosii M. Imp.

Stella quid in Cimelio indicet.



Constantinopolim, novam tunc temporis Romam dictam, innuere videtur: ceû in Nummis, qui unô latere præferunt Caput hujus Urbis galeatum: & in alterô Asteriscum, Coronâ laureâ cinctum, appositis infrâ in segmento literis: CON. spectari solet.


conclusio.

Hiscæ igitur nifus conjecturis, aut si mavis fundamentis, præfens perrarum Cimelium, ad formam Nummi, sub Imperatoris Theodosii auspiciis, quondam signatum, publicique juris factum fuisse, arbitror: itâ, ut insuper Epocham Æræ salutiferæ circa annos 384. 385.

386. plus minus, exindè quoque elici posse, plannè incongruum non videatur.

PE-





# PESCENNIUS NIGER

## Nummus Unicus.

IMP. CÆS. C. PESC. NIGER. AUG. Caput Pescennii Interpretatio  
Nigri laureatum. Nummi.

℞. SPEI FIRMÆ. Mulier cum Calatho in Vertice  
Capitis, gradiens, dextrâ præfert florem, sinistrâ  
Stolam sublevat.

**S**pei typum refert nummus hic argenteus, omnium Explicatio fi-  
gura Spei re-  
ferentis.  
sui generis rarissimus, in secundo ejus latere, qua-  
lis sæpius in aliis sub specie mulieris, dextrâ flo-  
rem trifidum gerentis, ab Antiquis sic figurata  
cernitur; cujusque descriptionem vel explicationem plu-  
rimi Auctores Mythologici jam prodidere.

Inscriptio autem præsens planè nova atque insolita, Verborum, Spei  
Firma, explica-  
tio.  
nec unquam in Pescennii vel etiam aliis Nummis anti-  
quis,



quis, certò certius fuit lecta. Cùm aliàs in reliquis rei Nummariaè antiquis monumentis sapius SPES AUGUSTA, PUBLICA, REIPUBLICÆ, PERPETUA & BONA dicatur, hæc quasi per Emphasin FIRMA prædicatur; quasi extrà omne dubium poneret Pescennius, firmiterque ac fiduciã certã speraret, se Imperatoriam dignitatem quietam ac stabilem consecuturum esse; Quæ tamen spes FIRMA, & quidem putativè sic dicta, bonum Imperatorem omninò fefellit, cùm captã à Septimio Severo Antiochiã, ad Euphratem confugiens, à Severianis Equitibus, in suburbano quodam latitans, repertus trucidaretur, Caputque Ejus amputatum, pilo affixum, Byzantium ad Septimium portaretur.

Nummorum  
Pescennii qua-  
litas.

Omnes interea Pescennii Nummi argentei, latini inelegantis admodum ac rudis plerumque sunt fabricæ, quia à potiori parte in Provinciis vel Coloniis exterioribus ac valde remotis, non autem in ipsa Urbe Roma fuere percussi.

Locus Fabricæ.

Nostrium verò, de quo Sermo est, ibidem fuisse signatum, inde suspicamur, quod cælaturæ est plane elegantis ac nitidæ, reliquos omnes, quos hactenus videre licuit, superantis. Urbs enim Roma maximos semper alebat artifices, præprimis in Remonetaria, ceu, experienciã teste, Coloniarum Hispaniæ, itidem ac Galliæ Nummi docent, qui ab illis Romæ cufis longè differunt, Officinas enim Monetales potiores ac primarias in Urbe Roma, omnium reliquarum Matre atque Reginã: extitisse facile credi poterit.

Instantia.

Huic si forsan asserto quis contradicere exinde sibi persuadeat, quòd ob præreptum jam in Urbe Roma à Septimio dominum, Senatus non facile fuerit ausurus, istius figurare vel imprimere numismati faciem, qui con-

tra



tra partes Septimii steterit, ac cum illo de obtinendis Imperii fascibus certaverit.

Sed constatne econtrà, antequam Orientem ver- Solutio.  
sûs ad tollendum eius Anti Cæsarem Pescennium tenderet Septimius, res duorum adhuc Cæsarium ac Imperii Candidatorum, nempe Albini & Pescennii tunc temporis simul fuisse actas, quorum quisque suis gaudebat Clientibus?

Potueruntne à quodam Quæstore Monetali, à partibus præsertim Pescennii stante, vel clàm vel alio modo per Opifices Monetarios sibi addictos, nonnulli hujus generis nummi in honorem Pescennii, ac pro captanda eventuali benevolentia, dum res adhuc agebatur incerta, fabricari ac Publico intrudi, ut plures ipsi affectas tacitè eo ipso pararet? ÆLIUS ENIM SPARTIANUS IN VITA DID. JULIANI CAP. IV. ITÀ HABET:

„Sed occupatis indifferenter omnium subfelliis,  
„populus geminavit convitia in Julianum: Pescennium Nigrum, qui jam imperare dicebatur, ad Urbis præsidium vocavit.

Idem Spart. in Vit. Pesc. Nigr. Cap. II. „Huic,  
„(Pescennio nempe) ob detestationem Juliani primis Imperii diebus, ità Romæ fautum est à Senatoribus duntaxat, qui & Severum oderant, ut inter lapidationes execrationesque omnium, illi (Pescennio) feliciter optarent, illum Principem insuper, & illum Augustum populus acclamaret.

Monendum prætereà adhuc est, Nummum hunc certe Unicum ita esse vere genuinum & antiquum, ut Nummus hic antiquus genuinus & Unicus.  
ne minimam quidem dubitationis notulam recentioris cujusdam fabricæ incurrat. Ipsi enim plane inest



argentum illud mixtum Septimiorum nummis coarvum ; idem prorsus literarum ductus ; Nævi hinc indè inspersi atrî, non arte, sed ferruginea vetustate intrinseca producti ; Caput non turgidum, nec eminenter exurgens, sed leviter expressum, ut fusus conjecturari minimè queat. Areæ præterea superficies ubique plana, compacta ac nitore coruscans, ità ut punctulis vel cavitatibus, fusuræ semper obnoxiiis, plenariè careat. Frons illa rugosa ; Nasus proeminens, turgidus, ac in imo pulposus ; Labra exturgescencia ; Barba promissa, mentum & genas ad aurem usque occupans. Cervix densa, ac collum crassum, omniaque reliqua taliter in Nummo antiquitus expressa cernuntur, ut Vultûs magis similitudinem accuratiorem unquam fuisse productam, vix credam.

Pretium Affectionis & raritatis,

Hinc certè omninò quoque caret pretiò, cum sui similem vel forsàn alterum, terræ viscera vix excludere valeant. Amatoris itaque harum rerum periti & curiosi erit negotium. Ignoti enim  
nulla Cupido.



Mb 4973.  
40

ULB Halle  
006 699 596

3




v Dn8


nc











B.I.G.

Farbkarte #13

DUORUM  
Verè  
ANTIQUORUM  
CIMELIORUM  
SUCCINCTA EXPOSITIO,

A D  
ERUDITÆ AC VENERANDÆ ANTI-  
QUITATIS STUDIUM SPECTANS,  
VETERIS REI NUMMARIÆ CURIOSIS  
DICATA.


A B  
AUCTORE ET POSSESSORE  
G. à Pfau,

Conf. Stat. Int. Wirtemb.  
*Edente*



BENNONE GASPARO HAURISIO,

Serenissimi Electoris Palatini Judiciij Aulici Confiliario, & in Uni-  
versitate Heidelbergensi Professore Historiarum  
P. & O.



HEIDELBERGÆ,

Ex Typographejo Academico, per Joannem Jacobum Hæner.

